

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

142. Menstruum faetes Lunare Effentia Solis acuatum Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

fætenti lunari, cujus additione idem menstruum acutius, id est, nobilius reddit.

142. Menstruum fætens lunare solis
Essentiâ acuatam Lullii,

In Experimento XXX.

Rx. **S**Upradictam Aquam in qua habes animam Lunæ (*sub No. 121. descriptam*) ac in ea solve uncias duas vel unam cum dimidia salis fixi urinæ ut in suo Experimento (*sexto, à nobis autem sub No. 30. dato*) habes, quo soluto, in ea aqua dissolve unciam unam Auri, putrefac per octo dies, deinde separabis aquam per Balneum, corpus autem remanebit in vase ad similitudinem mellis fusi, supra quam materiam repone de destillata aqua tantum, ut supernatet duobus digitis, claude vas suo antenotorio, ac putrefac in Balneo per 24 horas; postea superposito alembico cum receptaculo, juncturis optime clausis, destilla per cineres, ultimo augebis ignem maximè & quod transactum fuerit, servabis optime clausum, est enim spiritus animatus, vel anima ipsius Auri.

Ex Receptis observamus,

1. *Menstrua hujus Generis esse istis vicesimi & vicesimi primi Generum nobiliora; ibi metallorum Essentiæ vel Magisteria dissolvebantur in mensuris mineralibus simplicibus, hic autem in iisdem Compositis.*

2. *Menstrua hæc non differre à decimi Generis mensuris nisi in superaddita aciditate; dissolve Acido quovis menstruum dicti Generis & protinus transformabitur in hujus Generis menstruum.*

3. *Menstrua hæc digerendo iterum fieri dulcia & ut antea Vegetabilia.*

4. *Menstrua hæc non satiari, sed suis dissolutis augmentari tam in quantitate quàm qualitate in infinitum.*

5. *Spiritum Mercurii universalis sive primam metallorum materiam Basilii à suo authore etiam nuncupari Mercurium duplicatum*

catum quo pallium Regis solvendum, *Sect. 1. cap. de sulphure mercurii, Sect. 2. de Vitriolo phil. & Sect. 2. cap. 4. de Vitriolo Veneris. Alibi Sulphur Martis & Veneris duplicatum, Sect. 1. cap. 3. de sulph. Martis & Veneris. Alibi Animam Martis & Veneris uti in particul. Veneris.*

6. Mercurium hunc duplicatum multo præstantiorem fieri additione Pallii Regis, Croci Solis, Lunæ, aliorumque metallorum. Menstrua fere Generum omnium promiscuè dici Mercurios Philosophorum, at de his fufius & exactiùs libro tertio.

7. Spiritum mercurii universalis Basiliæ esse Magisteria Martis & Veneris methòdo minerali confecta; magisterium Martis & Veneris dissolve in communi spiritu Vitrioli, & simplici hac dissolutione eundem conficies Mercurii universalis spiritum.

8. Quemadmodum Martem & Venerem, ita etiam Jovem & Saturnum, reliquaque metalla in dictas primas materias confici posse, earundem scilicet virtutum cum Martis & Veneris primâ materiâ, quoad solvendi facultatem. Mars autem & Venus eliguntur ob suarum Tincturarum excellentiam & abundantiam.